



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Annvs Diervm Memorabilivm Societatis Iesv. Sive
Commentarius quotidianae virtutis, notabilem vnius, vel
plurium in Societate vitâ functorum, virtute quapiam
insignium memoriam in menses diesque ...**

Nádasi, János

Antverpiae, 1665

XXVIII. Die Martii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9625

XXVIII. DIE MARTII.

P. I V L I V S
CVSSOLA.

Hispanus
Maiores.
28. Mar. 1683
Soc.

Mortific.

STudiosè in id erat semper inten-
sus quâ se arte industriaque crucia-
ret. Inter vescendum si quid palato
illius arrideret, hoc ipsum illi stimulo
erat, vt eam eius ferculi partem quæ
maximè sapiebat relinqueret. Vespere
plerumque nihil omninò libabat. Vt
verò se acriùs peruinceret, plures dies
absque vilo potu duxit, nullâ vel guttâ
gustatâ ad sitis leuamentum. Amabat
paupertatem intimè, atque constantiâ
planè mirabili. Nunquam quicquam
nouorum calceorum, aut vestium ad-
mittebat; aiebatque, si sepulchro in-
ferri deberem, hæc mihi detrahe-
rem: cogitabo ergò me esse iam mor-
tuum.

P. ALEXANDER
HUNNEVS.

Scottus
Camberij.
28. Mar. 1606
Soc. 27.

Fides.

Illustri apud Scottos domo natus, in
Societate dictus postea est Germani
Iesuitæ expressâ effigies. Magna illi
latina & Græca eruditio in memoria
singulari, quâ librorum semel à se le-
ctorum adeoque paginarum ac ver-
suum, recordabatur. Militum animos
ita rapuerat, vt procul aduentantem
genibus nixi opperirentur. Quorquod
illi vnquam noti fuere mortales, illo-
rum nomina & cognomina memoriâ
retinebat; eorum verò quos hæresi,
vel alijs peccatis expiarat, catalogum.

à se descriptum identidem lectabat,
precesque pro illis fundebat. Intra
paucos menses fertur mille hæreticos
orthodoxis partibus adiunxisse. Ac-
curatâ supra modum reuerentiâ erat
in singulis legum apicibus eumulatè
implendis. Vnde ipso etiam mortuali
sibi die (quo mensæ ministrare solebat
è præscripto) memor legis, admonuit
ministrum, vt sui loco aliquem in tri-
clinium destinaret, ad cibum Patri-
bus ministrandum, obediens vsque
ad mortem.

P. ANDREAS ORTIZ
ORUNNIUS.

IN Peruana Prouincia præclarè
Christianam rem, per annos 39. pro-
uexit. Etiam apud quos in magno pre-
tio habebatur. Multos ægros dicitur
persanasse: post mortem quoque be-
neficus cadauere adhuc integro & fra-
grante. Puratur Crucifixum, quem
post mortem illi in manus inserue-
rant, mortuus ori suo ad osculum ad-
mouisse. Atque vt alia mira omitta-
mus, Thomas de Sosa Ordinis Præ-
dicatorum, plenus vlcibus, & morti
iam vicinus, P. Andream, cuius olim
discipulus fuerat puer, opem implo-
rans, postea testatus est, illum sibi per
quietem visum, opemque pollicitum.
Et verò stetit promissis. Etenim vbi
Sosa particulam è casula P. Andream
suis vlcibus applicuit, planè con-
ualuit.

Hispanus
In Peruana
Prou. 28.
Mar. 1617.
ætat. 66.
Soc. 45.

Crucifixus

Apparis.